

Positiones chirurgicae de fractura cum vulnere / [David Brotbeck].

Contributors

Brotbeck, David, active 1689-1693.
Camerarius, Elias Rudolph, 1641-1695.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Typis Johann. Conradi Reisii, 1693.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/htb479ga>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

ΣΤΝ Θ Ε Ω.

POSITIONES CHIRURGICÆ
DE

FRACTURA
CUM VULNERE.

Quas

J U S S U

GRATIOSISSIMI ATQUE AMPLISSIMI COLLEGII
MEDICI IN ALMA EBERHARDINA,

Sub PRÆSIDIO

DN. ELIÆ RUDOLPHI CAMERARII, PHI-
LOS. ET MEDIC. D. AC P. P. ORD. FACULT. MED. SEN.
CONSIL. ET ARCHIATRI WIRTEMBERGICI
CELEBERRIMI,

*DN. PATRONI, COGNATI AC PRÆCEPTORIS
Parentis Loco Colendissimi,*

Pro LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONO-
RES, INSIGNIA, AC PRIVILEGIA DOCTORALIA LEGI-
TIME CAPESSENDI.

Ad Diem 18. Octobr. hor. antemerid.

IN AULA NOVA

Publico ac Solemni Examini sistis

DAVID Brotbeck/ Tubingensis.

TUBINGÆ,

Typis JOHANN-CONRADI REISL,

Anno M DC XCIII.

SERENISSIMI DUCIS
WIRTEMBERGIÆ

Consiliariis & Archiatri,

VIRIS

Nobilissimis, Excellentissimis, & Experientissimis,

DN. ELIÆ RUDOLPHO CAMERARIO,
Phil. & Med. D. atque Professore in Almâ Eberhardinâ celeberrimo, Facultatis Medicæ Seniori,
Cognato ac Præceptori Parentis loco devene-
rando.

DN. SALOMONI REISELIO, Medicinæ Do-
ctori Celeberrimo.

DN. JOHANNI GEORGIO GMELINO, Med.
D. Famigeratissimo.

DN. CASPARO HÆRLINO, Medicinæ Doctore
Celebratissimo, Affini Colendissimo.

*DNNNN. Patronis, Mecenatibus ac Pro-
motoribus maximis, in devotum submissa observantia &
gratitudinis testimonium,*

HASCE INAUGURALES THESES

sacras esse vult

DAVID Brotbeck.



u. u.



Um inter mala atrociora, quæ corpus nostrum externe invadunt, accuratamque requirunt notitiam, tam Cognoscendi quam Curandi, ultimum locum in CHIRURGIA haud obtineant, FRACTURÆ, operæ pretium me facturum existimavi, si de hâc & quidem cum VULNERE JUNCTO, aliquot positiones Loco dissertationis Inauguralis, sed quam licet brevibus proponerem. DEUS T. O. M. Cœpta, mediumque cum fine secundet.

Th. I.

FRACTURAM *Græci* vocant *κἀταγμα, κλάσμα, ἄγμα & ἄγμο;* à *κατάγω, καταγνίω & κατάγνιμι*, frango, confringo. *Vulnus* vocant in cute *τραῦμα*; aliter & variè pro vulneratæ partis diversitate. *Noster* hic affectus *Germanis* dicitur ein *Schlußbruch*. Eodem *Idiomate* dicitur & *ruptura & fractura ein Bruch*; sed multum differunt.

I I.

Fractura cum Vulnere est solutio sive divulsio præsentanea continuarum partium ossæarum & carnosarum simul, à violentia externa, casu, impulsione, collisione, sectione, &c. orta. Cum vulnus non sit de essentia fracturæ, morbum complicatum sive potius duplicem aut duos morbos dico.

III.

Ossæ corporis partes solidæ sunt ex partibus fixis (quomodo hic accipiat subodorabis) & immobilibus conflata, quæ optimè unæ omni istius unionis divulsioni naturaliter resistunt, adeoque nec à volatilibus ac subtilibus particulis agitari, turbari, moveri, nec ab externâ causâ dimoveri, divelli, aut confundi possunt, nisi cum violentia nimia sive externa s. interna in p. n. statum ipsas deducit. Constant quædam ex plurimis parvularum fibrarum fasciculis, quædam ex pluribus tenuibus laminis sive stratis se invicem includentibus, aut sibi invicem

succumbentibus. Expansa super ossa est membrana tenuis, transparens & filamentis minutissimis curiosissimè contexta, periostei nomine veniens. Sub partibus *Carnosis* non carnes solum, sed & partes molles, carni insertas, venas, arterias, nervos, tendines, fibras, membranas, glandulas, cutem comprehendo. Os unum præ altero pro suâ naturali dispositione, facilius vel difficilior frangitur.

IV.

Causa immediata sunt dura quæ vel fecant, vel contundunt vel perforant, ictu, casu, lapsu, occurso vel aliâ quadam violentiâ continuum in ossibus & carnosissimis partibus solvere valent. Immediatam dicere causam talia violenta licebit, etiam si non immediatè, si dentes exceperis, os tangant. Vel, si magis placet, voca *proximam*. Vulneris causa frequentior est ipsum os per-rumpens & dirumpens molliores partes.

V.

Causæ mediata propinquiores sunt acres, heterogeneæ in sanguine latitantes particule, quæ invalescentes cariosa ossa & carnem quoque ulcerosam reddunt, quod exempla Lue Venereæ infectorum, Rachiticorum, Arthriticorum & Scorbuticorum testantur, his enim sæpius sine externâ aliquâ accedente causâ, ossa franguntur carie erosa, qualia exempla passim apud Authores Practicos legi possunt.

VI.

Ego talem fracturam absque omni causâ externâ licet dabilem & potius cariem non definivi. Hinc istas particulas saltem accuso, cum occasionem præbent faciliori fracturæ. Nec definitio mea se extendit ad nimias & valdè violentas artuum convulsiones ossa divellentes.

VII.

Causas inter Remotiores sunt res *Naturales*, tenera nempe ac singularis ossium & carnis constitutio, ob quam ad eò fragilia interdum ossa sunt, ut etiam parvum impetum sustinere nequeant, qualia exempla apud *Fabr. Hild.* cent. 2. obs. 66. & 68. prostant, cum tamen notissimum fuerit hos nec Lue Venereæ, nec alio laborasse morbo.

VIII.

VIII.

Nulla ætas, nullus sexus ab hoc malo immunis est, senioribus tamen facilius est fractura. Infantes & tenerioris constitutionis homines, magis dispositos esse ad fracturas quam alios, quidam censent; Nec tamen hoc Experientia comprobat. Majorum corporum ossa procliviora itidem ad fracturas dicunt.

IX.

Inter *R. N. N.* motus excessivus fracturarum tam cum quam sine vulnere Author existit.

X.

Medicamina mordacia, acria, Mercurialia intempestivè applicata, caustica incautè applicita, spiculis suis scindentibus ossa & carnem corrodere & hinc ad fracturam talem multum disponente valent.

XI.

Inter *Res P. N.* ossa fragilia aliquando reddit miasma hæreditarium.

XII.

Nec minus eorundem Caries occulta.

XIII.

Et in primis ea quæ Luem Veneream sequitur, vid. *Marc. Donat. hist. mir.*

XIV.

Qui sæpius inunctionibus mercurialibus usi sunt, magis frangibilia habere ossa, vid. *Schenck. in observ.*

XV.

Ut & scorbuticorum miasma faciliorem reddidisse fracturam, Practicorum Experientia clarum est.

XVI.

Arthritici atque defluxionibus acrioribus ac erodentibus laborantes fracturis magis obnoxii sunt quam alii.

XVII.

Veneri alicujus occulti, ab insigni aliquâ humorum corruptione profecti, quod totam ossium substantiam permeans corrumpit, exemplum adducit *Fabr. Hild. C. 2. obs. 66. & 68.*

XVIII.

A sanie ulcerum acri, mordaci, corrodeute, ossa ad fragilitatem pervenire, Excell. *Dn. D. Camerarius Phys. P. ord. Patron.*

Cognat. & Præceptor meus Colendiss. in Nosocomio Parisiensi vidit. uti vidend. Disput. Inaug. de ulcer. antiq. Excell. Dn. D. Brigelii.

XIX.

Fracturæ talis *Differentia* variaz sunt: Alia enim magnum, alia parvum vulnus habet junctum: Quædam est cum osse nudato, quædam non nudato; Alia, ubi os quidem non nudatum est, attamen os aliquod abscessurum metuitur: Alia ubi os nudatum est, nec tamen aliquod frustulum abscessurum speramus. Alia in capite, humero, alia in brachiis, costis, femore, tibia &c. Alia à solâ causâ externa absque ulla p. n. internâ dispositione oritur, alia à causâ externâ cum tali.

XX.

Signis *Diagnosticis* non opus est multis, cum *αὐτοψία* rem claram faciat. Ne tamen fallat aut fallatur Chirurgus, cum vulnus simplex cum fractura esse pronunciat, ipsâ tamen absente. Fracturam occasiones atque causæ prægressæ strepitus auditus, actionis sive motus partis amissio, portionum fractarum tactus, membri inæqualitas, brevitatis, figuræ depravatio, potissimum verò portionis fractæ prominentia monstrant.

XXI.

Quæ *Prognosis* generalem, ossis & carnis continuitas ubi semel est divisa, rupta, vulnerata, nunquam per se restaurari vel in pristinam formam reduci potest, in pueris tamen fieri *Tagaultius* voluit. Tales quoque Fracturæ periculi plus alunt, iis quæ carne & cute superjectâ integrâ manente infliguntur. A telo secante periculosior quoque habenda aliis, præsertim rectâ incisione factâ, ossa enim hæc ægrè coalescunt, nam à telo secante, pori ossis per quos alimentum transire deberet, quodammodo obstruuntur, ut callus tardius generetur, & ob æqualitatem fracturæ ossa fracta difficilius immota servari queunt. Facilius sanatur fractura recens, quàm inveterata, in osse minori quam majori, quæ à causâ externâ solâ, quam cui interna jungitur, in subiecto juvenili ac puerili, quæ in membro est, ad deligationem ac alias enchireses ad curationem necessarias magis apto, quæ absque extraordinariis morbis atque symptomatibus est. **Majus periculum portendit fractura cum vulnere, qua plures &**

majoris momenti partes conteruntur & perforantur. fracturam in femore & crure cum ossis exitu maximè periculosam Hippocrates judicat. l. 3. de fractur. text. 41. & 47. ut & Celsus l. 8. c. 10. Erysipelas ossi denudato superveniens malum vult Hippocrates Sect. 7. aph. 19. Affectus hic noster in se quidem lethalis non est, aliquando tamen ob nimiam partis læsionem, hincque supervenientem inflammationem, gangrænam, sphacelum mortem accersit.

XXII.

Ad Curationem requiritur, ut fractum os reponatur & ut vulnus sanetur. Nec enim solum gladio, sed & vaginæ, quo simili de Fracturis utitur *Paracelsus*, remedium est adhibendum.

XXIII.

Ut verò Repositio cautè fiat prospiciendum, vulneratæ enim partes, si nimium extenduntur, facilè vehementes excitant dolores, imò & convulsiones, ob fibrillarum jamdum multum læsarum majorem læsionem.

XXIV.

Repositio fiat, antequam inflammatio accessit, aliàs sine magni periculi metu, repositio fieri nequit.

XXV.

Medico vel Chirurgo non præsentè, si jam inflammatio accesserit, consultius est repositionem differre, donec cedat inflammatio.

XXVI.

Tonfores, Balneatores, Chirurgastris, qui sæpè lapsu membrum fractum esse rati (quod tamen non est) illud crudeliter extendunt, arctè comprimunt, constringunt, magnorum malorum Authores esse solent.

XXVII.

In fractura cum vulnere antequam ossa jungantur, aut si conjuncta sint, videndum, nequid inter ossa fracta hæreat, quod conglutinationi moram injicere possit. Sed impedimenta quæcunque statim eximenda, sine tamen violentiâ, ob dolorem, subsequunturque hinc inflammationis & convulsions metum.

XXVIII.

In fractura cum vulnere ferularum, non verò capsularum usu abstinendum.

XXIX.

Fasciis membrum fractum circumvolvendum, & quidem non malè agunt, qui deligant unicâ fasciâ & unicâ circumvolutione, quæ duplici triplicive linteo in plagulæ modum contexta & oris suis dextrè consuta est, tam lata, ut totum vulnus contegere possit.

XXX.

Debita dein Remedia applicentur ubivis apud Authores obvia. Simul ut nutritius ros debitâ quantitate & laudabili qualitate instructus ad partem affectam appellat, prospiciendum.

XXXI.

Secundo, Tertio, vel Quarto die deligationem solvere convenit.

XXXII.

Solutio deligationis ultra septimum diem non differatur, ne inflammatio, gangræna, putredo, deformitas membri, aliaque incommoda indè causentur, quod observavit *Fabr. Hild. Cent. 2. obs. 91.*

XXXIII.

Emplastro vel Cataplasmati imò & fasciæ foramen incidendum, ut materiæ & puri exitus pateat.

XXXIV.

Nec nimis arcta, nec nimis stricta sit Ligatura, attamen ob vulneris respectum, magis ad laxitatem, quam ad stricturam tendat: Sit fascia ob eandem causam latior.

XXXV.

Lintea sæpius mutanda & munda servanda, ne in læso membro dolor, pruritus vel exulceratio sequatur.

XXXVI.

In resolutionibus probè cavendum, nè ossa loco suo iterum dimoveantur.

XXXVII.

Studiosè ab aëris externi injuriis vulnus præservandum, ipseque cubiculi aër, in quo decumbit æger, tepidus ac temperatus, aut sit aut reddatur.

XXXVIII.

Clysteres non uno modo profunt decumbentibus ob fracturam cum vulnere.

XXXIX.

XXXIX.

Osteocolle commodè internè & externè in fracturis nos
uti vult *Fabr. Hild.*

XL.

Cavendum tamen vult *Idem*, nè robustioribus & Juveni-
bus detur, cum magis senibus quam his hujus usus conveniat.
Obs. 90. & 91.

XLI.

Emplastrum Oxycroceum malè in initio curæ fracturarum
applicari, ob nimium ejus calorem docet *Idem Cent. 4. Obs. 99.*

XLII.

Legitimè repositum esse os fractum colligitur, cum super-
ficies membri debitè se habet, æquale illud est, ac membro al-
teri sano simile, cum doloris nimia vehementia remittit.

XLIII.

Tempus, intra quod fractura consolidetur, determinari ac-
curatè non potest, multum enim pro varietate subjectorum
variat.

XLIV.

Phlegmone, febris, dolor, prohibeantur, quo modo possibile.

XLV.

Si jam adfunt, removenda tùm V. S., tùm victus ratione
tenui & frigidâ, tùm medicamentis internis Diaphoreticis, ab-
sorbentibus, refrigerantibus & externis debitis, imò quoque
anodynis si opus fuerit. Nec hæc satisfaciunt, si causa doloris
sit vel affluxus è corpore, vel ossiculum acutum pungens, vel
fasciatio nimis strieta, vel membri incongruus situs; in talibus
casibus removenda causa.

XLVI.

Si Gangræna adest, scalpello caro incidenda, medicamen-
taque gangrænam pellentia adhibenda.

XLVII.

In fracturis, ubi nervi compatiuntur, antispasmodica pro-
sunt, summè verò nocent Ira, Venus, Strepitusque, vid. *Fabr.*
Hild. Cent. 1. Obs. 17. & 19. imò in quavis fracturâ cum vulne-
re hæc, cum mœrore & terrore, abesse jubeo.

XLVIII.

XLVIII.

Ossium comminutio fracturæ junctæ magnam in curâ requirit prudentiam.

XLIX.

Cum portio ossis fracti agglutinari amplius non potest, Naturæ committendum negotium, ita tamen, ut Chirurgus instrumentis, manu, medicamentis, fasciatione, omnibus modis illam juvet. *Paracelsus* ferramenta vel alia quævis instrumenta universaliter malè rejicit.

L.

Portiones carnearum aut membranarum si separatae sunt, aut præcavenda est earum corruptio per discutientia, balsamica, spirituosâ, Alexipharmaca, aut si præcautio talis impossibilis sit, per suppurationem pars sana & integra ab iis liberanda est.

LI.

Os malè repositum & consolidatum, ut denuò frangi & reponi suadeam, à solâ membri incurvatione me induci non patior.

LII.

Cibi exhibeantur roscidum, balsamicum, laudabilem fucum suppeditantes, condiantur herbis vulnerariis, aromaticis. Nec cibi adstringentes rejiciendi.

LIII.

Alliis, cepis, suillæ carni, acidis, salinis, acerbis & mordacibus, viscidis, dyspeptis, induratis cibis interdicitur.

LIV.

Vinum per se non conducit, aliquando concedi potest rubrum adstringens, aqua mediocriter temperatum.

LV.

Alvus ut aperta fiet, flatibusque ut exitus pateat, cibus liquidis, alvum laxam reddentibus & Clysteribus procurandum.

DEO T. O. M. sit Laus, Honor & Gloria
in Secula Seculorum.